



**G**abriel Rauenspurgi in Sueuia natus, & in omni genere literarum optimè educatus fuit. Postea sese hinc inde ad Academias, præsertim Parisiensem contulit, atq; Philosophiæ & Medicinæ operam dedit. In ijs quoq; tanta felicitate uersatus est, ut insignia Doctoralia sibi cõpararit, atq; in patriam reuersus Archiatros constitutus fuerit. In eo loco suam artem magna laude exercuit atq; etiam Antonij Musæ de herba Veronica, et L. Apuleij de Medicaminibus herbarum libros recognouit, emendauit, & cõmentarium adiecit. Scholia quoq; in librum Sexti Philosophi Platonici de medicina animalium, bestiarum, pecorum, & auium scripsit,

& 1539 edidit. Postea commentaria in Q. Sereni Sammonici Poëtæ librũ Medicinalem composuit, atq; tãdem annotationes in Apicij Cælij libros decem de opsonijs & condimentis, ipsaq; arte coquinaria, conscripsit. Hoc modo factum ut Gabriel sua eruditione in magna existimatione fuerit, atq; patriam suam egregiè exornarit. Tandem uerò ætate confectus obiit, & honorificè sepultus fuit. Con. Gess. in Bibliotheca.